

Klausing

1747



1105.

DE
CRIMINE
LIBELLATICORVM
NON LEVI PVTANDO
COMMENTATIO

AD
VIRVM CLARISSIMVM
PAVLVM IACOBVM
FOERTSCHIVM

HATN. SS. THEOL. CULI.

SUMMOS PHILOSOPHIAE HONORES
AD D. XVI FEBR. MDCCXLVII.
IN ACADEMIA LIPSIENSI
CAPESENTEM

AVCTORE
ANT. ERNESTO KLAVSINGIO
HERFORDIA - WESTPHALO.

225.
LIPSIAE,
EX OFFICINA STOPFFELIANA.

2502

MAGDEBVRG
MAGDALENEN
MAGDEBURG



VIR CLARISSIME

AMICE IVNCTISSIME

 Non ea mente, vt in commemorandas laudes
TVAS late excurrerem, aut insignem,
qua polles, in sacris pariter ac profanis
litteris scientiam praedicarem; sed, vt studii in me
TVI, et pietatis in TE meae documentum aliquod
ponerem, de honoribus, quibus TE ornatum hoc
tempore conspicio, sincera mente TIBI gratulan-
dum esse putau. Periucunda enim est adbuc
pristini illius temporis memoria, quo in Portensi
Musarum sede curae TVAE traditus in discendis.

A 2

litte-

litterarum studiis operam impendere concessum erat. Quantum ibi in me erudiendo consumseris laborem, ac studium, verbis haud satis exprimere valeo. Ne igitur partium mearum plane immemor videar, hoc *TVAE* gloriae dedicato die lucubrationem quandam de *Lapsis*, qui ab ecclesia veteri Libellatici dicebantur, *TIBI* exhibeo, non ut existimem, multa limata de ista materia, alias haud negligenda, me proferre posse, sed, ut qualcunque mei in *TE* animi monumentum publicum extaret. Deus autem immortalis, quos hodie capis, honores ita fortunet, ut propter virtutem et eruditionem *TVAM* plures alii propediem subsequantur, et in sanctiorem coetum denique ex *TE* fructus uberrimi redundant. Caeterum, ut futuro etiam tempore singulari favoris *TVI* beneficio me ornare pergas, ea, qua par est, humanitate rogo, non quo de *TVA* in me voluntate dubitem, sed quoniam ita rogare in more positum esse obseruamus. Scribebam Lipsiae ad d. XVI. Febr. An. R. S. MDCCXLVII.

§. I.



§. I.

Ecclesiae periclitantis in Stantes & Lapsos diuisio.



Horret sane animus, ab ultima statim Christianae gentis origine, tristissimas illas, quibus nascentis ecclesiae status adficiebatur, enumerare calamitates. Cum enim Imperatores Romanii acerbissimo in Christianos odio eo adducerentur, ut contra pios ac innocentes homines grauissima ratione saeuirent, nullum prorsus poenae tormentorumque genus reperi aut excogitari amplius potuit, quo sanctior coetus non fuerit adfictus. Nihilo tamen minus maxima Christianorum multitudo, quod veterum annales testantur, insigni praesentis animi significatione atrocissimos etiam pertulere cruciatus. Contra vero reperti etiam sunt multi, qui dira tormentorum vi coacti, vel Christianam plane deseruerunt religionem, aut deserta ad tempus mox rediere ad veritatem. Confirmant illud e veteribus CYPRIANVS a) DIONYSIUS ALEXANDRINVS, b) alii, et de ingenti desertorum veritatis criminis conqueruntur. Hinc variae in ecclesia primitiva oriri incipiebant secessiones, et in Stantes ac Lapsos peculiari modo dispesci solebant Christiani. Stantium nomine veritatis Confessores ac Martyres praecepue insigniebantur. E Lapsorum autem grege Sacrificati, qui publica Diis sacra faciebant; Thurificati, qui thure adiecto ad aras idolorum accedebant; Traditores, qui sacros libros ecclesiae hostibus comburendos offerebant; et Libellatici denique erant frequentiores. Atque hi sunt, de quibus in praesenti quaedam differere, corundemque haud leve fuisse facinus demonstrare apud animum constituimus.

§. II.

Faucti Libellaticorum conditio.

Varius antiquiori tempore libellorum erat usus. Modo enim vel a Martyribus Christianis eiusmodi hominibus, qui ad meliorem redie-

A 3

rant

- a) In sermone suo de Lapsis, et quibusdam aliis Epistolis
- b) In Epistola ad Fabium Antiochenum, quam EVSEBIUS I. VI. Hist. Eccles. recitat.



rant frugem, libellus dabatur, in quo verae fidei scripta erat confessio: vel ab ecclesiae etiam hostibus illi, qui cruciatum gravitatem timentes a puriori defecerant doctrina, securitatis libellum sibi comparabant, eamque ob causam Libellaticorum nomine infamabantur. Quaenam autem vera eorum fuerit conditio, et quot inter illos constituedae sint classes valde adhuc ab eruditis viris disputatur. Quapropter nihil plane veri in hoc opere proferri posse ideo censet PFANNERVS, *a)* quia eius rei, adeo a sacculi nostri usu remota, non nisi apud Cyprianum mentio exhet, ut sere inde suspicari liceat, istius tantum aevi id gentilium ad circumveniendos christianos commentum eam nostrorum labem suisse. Verum haec de nomine Libellaticorum tantummodo dicere PFANNERVM existimamus, quoniam ipsum facinus iam ante CYPRIANI tempora TERTULLIANVM *b)* multa et gravi oratione perstrinxisse novimus. Dupli ratione Libellaticos distinxit NATALIS ALEXANDER. *c)* Sed quatuor omnino eorum existisse genera solide demonstravit SAM. FLOR. RIVINV. *d)*

§. III.

CYPRIANI et CLERI ROMANI de criminis Libellaticorum iudicia.

Quale vero Libellaticorum fuerit seclusus e veteribus luculententer exposuit CYPRIANVS: Nec sibi, inquit, quo minus agant poenitentiam, blandiantur, qui etsi nefandis sacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen conscientiam macularunt. Et illa professio denegantis contestatio est Christiani, quod fuerat, abuentis, fecisse se dixit, quicquid alius faciens

a) Observ. Eccles. II. p. 169.

b) De fuga in persecutione c. 12.

c) Hist. Eccles. Sac. III. Diss. V. p. 253.

d) Dissert. de confessoribus veteris ecclesiae Martyribus Lips. 1739. Libellaticorum quatuor fuisse genera ex Cypriano colligitur. *Vnum* eorum, qui quam occasio libelli a iudice vel avaro vel indulgentie, fuisse oblati, tribunal aut ipsi, aut per alios adibant, ac Christianos se confessi, charram, qua immunitas sibi a sacrificando dareretur, nummis impetrabant. *Alterum* eorum, qui oblati litteris negaricibus se πολωθεότητος cultores Christi nomen baud dedisse afficerantur; *Tertium* eorum, qui libellum a Rectore prouinciae acceperant, quo ille in Capitulum ipsas defendisset, argue edictis Imperatorum abunde satisfecisse publica fide, sed mendax, restabatur. *Quartum* eorum qui etnicum submittebant, qui induta eorum persona, sacrificarer, fidem eiuraret, ac libellum a iudice subdole circumvento eorum nomine obtineret, quo omniem delatorum suspicionem amolirentur.

faciendo commisit. - - - *Viderit an minore vel dedecore, vel criminis apud homines publicaverit, quod admisit, Deum tamen iudicem, subterfugere et vitare non poterit.* In Epistolis etiam passim de Libellaticis scribit, quod nefando idololatriae libello sunt contaminati. In primis vero CLERVM ROMANVM hac de re loquentem audiamus, qui in Epistola a) ad Cyprianum Libellaticorum delictum ita exaggeravit: *Minus est sine praedicatione virtutum ignobilem sine laude iacuisse, quam exhaeretum fidei factum laudes proprias perdidisse.* - - - *Hoc nos non falso dicere superiores nostrae litterae probauerunt, in quibus vobis sententiam nostram, dilucida expositione protulimus adversus eos, qui scipiosi infideles illicita nefariorum libellorum professione prodiderant, quasi evasuri irretentes illos diaboli laqueos viderentur, quo non minus, quam si ad nefarias aras accessissent, hoc ipso, quod contestati fuerant, tenerentur; sed etiam adversus illos, qui accepta fecissent, licet praesentes cum fierent, non adjuvissent, cum praesentiam suam utique, ut sic scriberentur, mandando fecissent.*

§. IV.

BARONI^I aliorumque de Libellaticis sententiae notatae.

Ex quibus potissimum locis satis superque appareret Libellaticorum omnino facinus. *Baronivm d)* *intra* *pro* *scripto* *ad* *baronivm*. *Prior* tamen & Sacrificatorum & Traditorum erat causa. Hi enim vel tradendo hostibus sacras litteras; vel Diis immolando Christianam religionem palam denegantes ad paganorum partes redibant: Libellatici e contrario scelus suum vario modo simulare studebant. Sed in alia omnia BARONIVM c) ire animaduertimus, quippe qui Libellaticos aequo ac Sacrificatos omnes plane fidem deseruisse contendit. Consentientem hac in re habet BARONIVS non intelligentem harum rerum SPONDANVM. d) Verum argumenta huius sententiae nondum robore suo constare ostendit NATALIS ALEXANDER, e) et multi alii. Contra etiam fure, qui nimia in Libellaticos misericordia commoti, neminem ex illis a fide defecisse putarunt. A quorum partibus PFANNERVM f) inpri-

a) In sermone de Lapsis p. 133.

b) Reperiunda haec inter Epistolas Cyprianicas et quidem Epist. XXXI. ad num. PAMELII.

c) Ad A. C. 253. n. 20.

d) Ad l. c. Annal. BARONIL.

e) Saece. III. diss. V. p. 258. seqq.

f) Obs. eccles. p. 168.



inprimis stetisse deprehendimus, qui ex ipsis CYPRIANI locis Libellaticos a turpissimo denegationis crimen immunes ac liberos reddere studuit. Alii medium quasi amplectentes viam adfirmant, quosdam ex illis fidem retinuisse, quamvis multi vere eam negauerint. Sed haud per omnia ipsi sunt concordes.

§. V.

Loca quaedam veterum de crimine Libellaticorum illustrata.

Etsi autem nostrum non erit, horum omnium expendere argumenta: longius tamen a veritate nobis recedere videntur, qui omnes defecisisse Libellaticos credunt. Qua enim ratione CYPRIANVS a) inter alia dicere potuisset? *Libellaticos non tam criminis, quam errore deceptos fuisse et maiorem esse causam Moechi, quam Libellatici, cum ille voluntate, hic vero necessitate peccauerit, existimans, sibi satis esse, quod non sacrificaverit.* Sane, qui veritatem divinam abnegat, maiori omnino scelere Deum offendit, quam qui impurissimis voluptatibus indulgens se purissimamque mentem commaculauit. Neque dici poterit, errore tantummodo deceptum esse illum, qui praesente Magistratu sanctiore detestatur doctrinam. Nihil itaque aliud hoc loco innuit CYPRIANVS, quam quod Libellatici ~~ingono quidam patratorint loculo, cum quam vero~~ omnes a religione defecerint, aut turpiter profanum Deorum cultum exercuerint. Veram hanc fuisse CYPRIANI sententiam ipse eodem loco his verbis restatur: *cum inter ipsos, qui sacrificauerint, multa sit diversitas, quae inclemens est, et quam acerba duritia Libellaticos cum iis, qui sacrificauerint iungere?* Ad CLERI ROMANI verba, quae maiorem praeferre videntur speciem, quidam provocant, et Libellaticos Idololatrica professione coram iudicibus a fide defecisse putant. Negari quidem haud potest diversam Libellaticorum fortem ibi commemorari; num vero ipsi se desertores veritatis professi fuerint, vehementer dubitamus. *Isto enim loco nihil aliud vidimus, quam quod nefariorum libellorum professione se gentiles esse sint modo contestati.* Hinc verba illa sic interpretanda esse censemus, ut isti homines durante Christianorum persecutione pecunia libellum sibi comparauerint, et hac ratione facta illa, nefaria tamen professione se ipsos polluerint. Eiusmodi enim libellis Christi denegatio erat contenta, quibus acceptis a sacrificandi ritu immunes habebantur. Illustrem PLINII iunioris locum de Libellaticorum

a) Epist. LIL ad num. PAM.

rum negatione agere **BARONIVS** a) et alii prodidere. *Propositus est,* inquit **PLINIVS**, b) *libellus multorum nomina continens, qui negarent se esse Christianos, aut fuisse.* Sed hic pariter frustra esse videtur **BARONIVS**, et verba Plinii de famosis eorum libellis, qui Christianos accusabant, rectius explicari debere testatur **ISAACVS VOSSIUS**. c)

§. VI.

Libellatici veri & graves fidei desertores.

Illis denique, qui nullum e Libellaticis a veritate recessisse putant pari ratione haud suffragari possumus. Si enim diversa, quibus Libellatici vni fuere, confilia paulo curatius considerare voluerimus; multos ex illis profanos idolorum cultus arripuisse reperiemus. Praecipua quaedam horum hominum exempla **CYPRIANVS** d), exhibet, et de illis ita commentatur: *MARTIALIS cum BASILIDE actis etiam publice habitis apud procuratorem Duceñarium se idolatriae obtemperasse, et Christum negasse contestati sunt; et paulo ante dicitur: quod uterque nefando idolorum libello sit contaminatus.* Regerunt quidem ad haec exempla nonnulli, istos homines non apud ipsa acta Christum negasse, sed apud Duceñarium priuatum contestatos fuisse, scipios id facinus publice designasse. Sed hac ratione insius negationis crimen a Libellaticis minime tollitur.

§. VII.

Prolixior de facinore Libellaticorum sententia.

Quibus omnibus rite consideratis quilibet cognoscit, difficile admodum esse, in dijudicanda hac re quicquam decernere, quia omnes in **CYPRIANO** reperisse credunt, vnde sententiam suam probare queant. Ultimo denique loco brevissimis ea, quae de Libellaticorum facinore sentio, adiciam. Frequentissimi olim sine dubio inter Libellaticos fuere, qui fervente in primis furore Deciano, ne vel vitae vel opum paterentur iacturam, iudicum securitatem numinis leniri posse animaduententes, vel ipsis, vel per alios confessi sunt, se esse Christianos, atque ideo sacra Diis facere ipsis haud licere; securitatis libellum sibi dari flagitarunt: vel, qui prouinciarum Praetoribus ipsis obtulere libel-

a) Ad A. C. 253. n. 22.

b) L. X. Epist. 97.

c) Not. in **PLINII** Epistolam, ad **TRAIANVM**, **SCROLL X. M. 11. 11. 11.**

d) Epist. LXVIII. num. **PAM.**



libellos, in quibus nomina sua scribentes professi sunt, se Diis immolaturos. Utrosque describit CYPRIANVS; in utrosque etiam grauissimi facinoris reos invehitur oratione CLERVS ROMANVS. Eiusmodi enim Libellatici non minus, ac si ad nefarias accessissent aras, eo quod se fecisse contestati fuere, tenebantur. Etsi enim iubemur quacumque data occasione fidem nostram confiteri, tamen, si, vbi in sumnum vitae periculum ventum est, pecunia soluta rebus nostris consulere possumus, non tantopere reprehendendum putabunt forte alii. Libellum vero sumere, in quo ipsa fidei abominatio legebatur, maxime impium ac nefarium esse credimus. Hac turpissima simulatione isti Libellatici negationis ipsius se faciebant reos. Quam ob rem iure suo veteris ecclesiae Doctores hoc facinus perstrinxere, eiusque gravitatem omnibus ante oculos posuere Christianis.

§. VIII.

Ecclesiae in lomnium Lapsorum' peccata nimius disciplinae rigor.

Quid e sacris litterarum monumentis de Libellaticorum delicto iudicandum sit, et si e Theologorum scholis hic repetendum esset, tamen historiam modo volumus. Ecclesiam veterem illud magnopere derelatam fuisse, e locis supra commemoratis vidimus. Erant nimis a primis statim post C. N. saeculis tria potissimum peccata, Idolorum cultus scilicet, Homicidium, et Scortatio, in qua veterum Christianorum disciplina severa animadvertere conservaverat. Quos enim horum criminum convictos intellexerat ecclesia; durissimis poenitentiae legibus adstrinxit, quarum severissima sanctione per plures annos immo ad ultimum vitae momentum ab ecclesiae communione exclusi omnibus eius iuribus privabantur. Hinc plurimi e Lapis maximum disciplinae rigorem & molestissima poenitentiae opera considerantes, quibus rite defuncti in pristinum inter Christianos locum restituebantur, ad Confessores ac Martyres se conuerterebant, quia precibus eorum commoti Episcopi Lapis quibusdam poenitentiae partem remittere, vel moribundos in societatem ecclesiae recipere solebant. Hanc intercedendi consuetudinem antiquissimam fuisse et CYPRIANVS a) variis in locis confirmat, et ex TERTULLIANO b) etiam apparent. Originem illius ritus inde BARONIVS c) perendam esse censet,

a) Vid. Epist. V. X. usque ad XV. num. PAM.

b) In libris ad Martyres, et de Pudicitia c. 22.

c) Ad A. C. 253. n. 58.

set, quod Lapsi ad Confessores pro pace consequenda prius mitterentur, quam ad ecclesiam redirent, ut ab iis veniam impetrarent, in quos maxime peccasset, quia eo tempore illi fidem nefarie pernegaverint, quo hi fortiter fuerint confessi.

§. IX.

Novatiani in Libellaticorum causa errores.

Verum laudabilis iste ritus magnis in dies occasionem praebuit in ecclesia turbis. Fuere enim, qui nimio in Lapsos odio adducti nullam iis plane gratiam concedendam esse statuere. Primas inter eos tenebat partes NOVATIANVS, qui omnem Lapsis poenitentiam denegare ausus est. Propterea hoc modo in eum declamavit EVSEBIUS: a) NOVATIVS b) ecclesiae Romanae Presbyter superbia contra Lapsos inflatus, quia nulla illis reliqua sit salutis spes, etiam si cuncta ad sinceram conuersationem et puram confessionem necessaria perficiant, propriae haeresis eorum, qui se ipsos puros esse profitebantur, auctorem se ac ducem constituerat. At enim Novatiani, si quid vidimus, haud erat sententia, quasi Lapsos in ecclesiac communionem admittendos prorsus negaret; sed, quod nullum, ad condonanda eorum peccata ius in ecclesia esse truci sententia.

§. X.

Lapforum status post oppressam haeresin Novatianam.

Devulgata vero late Novatiana haeresi duobus tandem conciliis Chartaginensi nempe ac Romano communi omnium consensu est damnata, et Lapsi praecunte poenitentia in ecclesiae communionem rursus fuere admissi. Haud dubium est, quin in utroque concilio certae Lapsis poenitentiae conditiones, cuiusvis delicto convenientes ad definitum temporis spatium praescriptae, et in varia capita fuerint distinctae. Colligi hoc potest ex ipsis CYPRIANI d) verbis: *Examinantur, inquit,*

B 2

causae

a) Hist. Ecclef. I. VI. c. 42.

b) Novatianum isthunc cum Novato Presbytero Chartaginensi Graecos confundisse obseruat PAMELIUS ad CYPRIANI Epist. 41.

c) Plura et luculentiora certe de infandis Novatiani erroribus, ortisque hinc in ecclesia innumeris contentionibus differuere SEB. NANVS TILLEMONTIVS in Memoires T. III. P. III. et STEPH. KENCKELIVS Diff. de Haeresi Novatiana Argent. 1651.

d) Epist. LIII. num. PAM.



causas, et voluntates, et necessitates singulorum, secundum quod libello continetur, quem ad te pervenisse confido ubi singula placitorum capita conscripta sunt. Interpretatus est haec **BARONIVS b)** de ipso concilii libello. Alii Cypriani de Lapfis, et Ecclesiae Vnitate libros intelligendos esse putarunt. Rectius autem afferere videtur, qui isthunc libellum iniuria temporum plane interiisse censem.

§. XI.

Libellaticorum poenitentie ratio.

Quae de Libellaticis praecipue in his conciliis acta fuerint haud definit quisquam. Id saltem nouimus, illos, qui minus peccassent, mitiori modo habitos, nec cum Sacrificatis eadem poena fuisse affectos. Illustrum quandam **CYPRIANI c)** locum ea declarare omnino probabile est, qui ita se habet: *Placuit, frater charissime, examinatis causis singulorum, Libellaticos interim admitti, Sacrificatis in exitu subueniri.* Attamen Libellaticos publico etiam loco de peccatis suis dolere, & frequenti Christianorum coetu poenitentiae signa prodere debuisse haud immerito iudicamus. Cum enim corum crimen ad ipsam fidem Christianae negationem accederet, necessarium omnino erat, ut gravissimos se peccatores profiterentur, et facinus suum, quo vniueriae propemodum Dei ciuitati pessimo exemplario fuerant, pia et ad frugem composita mente improbarent ac plane detestarentur.


§. XII.

Constitutum Libellaticis poenitentiae tempus incertum.

Quam diu vero per solitas resipiscientium stationes progrederi debuerint Libellatici, pro certo constitui nequit. Alii decretum fuisse affirmant Libellaticos reponi posse inter Christianos, modo poenas aliquas poenitentia feelerum suorum soluissent. Alii poenitentiam eorum per aliquot annos durasse perhibent; quo vero auctore quum ipsi non prodant, incertum est. Sed quamvis fortasse forent, quae de hac re vberius disputari possent, tamen, quia haec scriptio artis limitibus est coactata, reliqua in praesenti data opera praeterimus.

b) Ad. A. C. 252. n. 88.

c) l. c. p. 113.




YKr 2638f

vol 18

ULB Halle
005 712 033





7105.
DE
CRIMINE
LIBELLATICORVM
NON LEVI PVTANDO
COMMENTATIO

AD
VIRVM CLARISSIMVM
PAVLVM IACOBVM
FOERTSCHIVM

HIST. SS. THEOL. CULT.

SVMMOS PHILOSOPHIAE HONORES
AD D. XVI FEBR. MDCCXLVII
IN ACADEMIA LIPSIENSIS
CAPESSENTEM

AVCTORE
ANT. ERNESTO KLAVSINGIO
HERFORDIA - WESTPHALO.

LIPSIAE,
EX OFFICINA STOPFFELIANA.

2638
225.